

**71. Conus genuanus L.**

*vide Tab. nostr. IV. Fig. 20. 21.*

Unum specimen ad insulam Annabon lectum exstat taeniis distinctissimis aequalibus fusco alboque articulatis cinctum.

**72. Conus testudinarius Mart. var.**

*vide Tab. nostr. IV. Fig. 24. 25.*

*Martini* Conch. vol. II. pag. 250. Tab. 55. fig. 605.

Figurae nostrae varietatem minorem exhibent testa coeruleo-alba, maculis rubido-fuscis marmorata insignem. Hoc specimen optime conservatum ex insula Annabon retulit noster.

**73. Conus Grayi Reeve.**

*vide Tab. nostr. IV. Fig. 18. 19.*

Testa turbinata, solida, piriformis, tenerrime striata fere laevigata, basin versus lacteo-alba vel cinereo-coerulea maculisque irregularibus fuscis aut fusco-nigricantibus marmorata, interdum undata; spira convexa 9 gyrata, spiraliter striato-sulcata; apex mucronatus roseus.

*Reeve* Conch. icon. spec. 258 a. b. c.

Specimen quod exstat ad Benguelam lectum est.

Quamvis fig. 258 c. in opere Reevei laudato a nostra specie aliquantum discedat, tamen figg. 285 a et b. habitu cum nostra cochlea bene conveniunt, ita ut testam recte determinatam esse credamus.

**74. Conus Tamsianus Dkr.**

*vide Tab. nostr. IV. Fig. 22. 23.*

Testa turbinata laevis, basin versus lirata, albida maculis et flammis irregularibus fuscis lineisque transversis albo et fusco-articulatis picta, epidermide pallide olivacea vestita; spira paullum elongata, conoidea; fauces purpureo-fuscae. — Long. 11 lin. diam. max.  $5\frac{1}{2}$  lin.

Non sine haesitatione hanc speciem ad insulam Annabon lectam hic introduco novam; sed nusquam inveni descriptionem vel iconem ipsi convenientem. Species

inter Conum Mediterraneum et Guinaicum quasi intermedia est, sed differt ab hoc striis spirae spiralibus omnino deficientibus, ab illo spira brevior et liris baseos fortioribus. Conus Adansoni Lam. XI. pag. 94., le Chotin Adans. Sénég. pag. 95. Tab. 6. fig. 6. a nostra specie non minus decedere videtur.

Praeterea duo exemplaria Coni cujusdam exstant fluctuum agitatione tam detrita, ut determinari nequeant.

### 75. *Oliva flammulata* Lam.

*vide Tab. nostr. IV. Fig. 26. 27.*

*Lam. an. sans vert. X. pag. 613.*

*Adans. Sénég. pag. 61. Tab. 4. fig. 6 Girol.*

Habitat ad Loandam (Tams) in ostio fluminis Nigri arenoso frequentissima (Adanson).

Icon nostra specimen majus repraesentat. Clar. Reeve patriam Olivae flammulatae Indias occidentales tantum nominat, quod fortasse in errore nititur.

### 76. *Oliva nana* Lam.

*vide Tab. nostr. IV. Fig. 28. 29., var. minor 30. 31.*

Ad insulam Loandam frequentissima, ubi numerum loco versatur sicut et Cypraea moneta Linnaei. In Oceano Americano quoque hanc speciem obvenire dicunt. In opere Adansonii deest.

Duas hujus cochleolae varietates depinximus callo spirali fere omnino carentes, praeterea in specimine majore spira paullo elatior est, quam in ceteris. Plerumque testa lineolis fuscis undulatis ornata est, sed exemplaria nonnulla punctulis quoque numerosis concinne adspersa inveniuntur; figurae 30 et 31 specimen minus in anfractu ultimo castaneo tinctum exhibent.

### 77. *Marginella Adansoni* Kien.

*Adans. Sénég. pag. 59. Tab. 4. fig. 2. le Narel.*

*Kiener Iconogr. pag. 5. Tab. VII. fig. 27.*

Habitat ad St. Anton.

Plures auctores hanc speciem pro varietate tantum *Marginellae bifasciatae* Lam. habent, cum dicant picturam in testis variabilem esse. Sed quamvis equidem

Tab. IV.

